



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio V. De conditionibus ex parte Dei requisitis ad meritum de congruo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

conditione personæ, & ejus operis, sicque personæ sanctitas videtur esse maximè necessaria ad tale meritum, ut patet ex dictis.

87. **Difficultas 3.** Utrum ille, cui aliquis de congruo meretur, debeat necessariò esse in statu gratiæ? Dico 1. Talis conditio potest quidem prodesse, ut Deus faciliùs, libentiùs, ac frequentius propter unius justii meritum alteri beneficiat. Ita *P. Soar. cit. num. 9.* Probatur, quia personæ sanctitas, aut bona dispositio sine dubio auget congruentiam & proportionem inter meritum, & personam ipsam, cui meretur; ergo &c.

88. **Dico 2.** Talis conditio non est omninò necessaria; sicque homini peccatori, imò & infideli potest alterius meritum de congruo prodesse. Ita *P. Soar. cit. num. 9.* Probatur primò ab exemplo D. Pauli, qui neque justus, neque fidelis, quando D. Stephanus pro illo oravit; & tamen juxta sententiam Sanct. Patrum ei meruit de congruo vocationem; ergo &c. Secundò, quia hoc meritum non fundatur in dignitate, neque in dispositione illius, pro quo offertur, sed offerentis; imò potius ordinatur ad hoc, ut alter per auxilium gratiæ ad statum meliorem convertatur, sed hujus auxilii non est incapax, neque fidelis, licet peccator, neque infidelis; ergo &c.

89. **Dico 1.** Hoc meritum fundatur in unione talium personarum in Christo, seu in ejus corpore mystico, cujus sunt membra; se hujusmodi unio per charitatem perficitur, & per fidem inchoatur; ergo justus neque peccatori, neque infideli mereri potest de congruo. Respondeo negando antecedens; neque enim ad tale meritum est semper necessarium, ut inter tales personas supponatur actualis unio per fidem, aut charitatem, sed satis est, ut is, cui meretur, sit capax talis unionis, & quod meritum ad illam impetrandam ordinetur, ut infra dicemus; cum autem neque peccator, neque infidelis sint talis unionis incapaces, potest justus eis mereri de congruo.

90. **Dico 2.** Satisfactio unius justii non potest prodesse alteri existenti in peccato; ergo neque poterit ei mereri de congruo. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia satisfactio fit per modum justæ solutionis, itaut ob satisfactionem unius remittatur de justitia alterius poena ei debita; cum autem peccator sit incapax talis remissionis ex justitia, ut latè ostendit *P. Soar. tom. 4. in 3. p. d. 48. sect. 7. & d. 37. sect. 2. à n. 10.* non potest justus pro eo satisfacere: aliter tamen dicendum de merito de congruo, utpotè quod non inducit debitum ex justitia, ut patet ex dictis. Hæc interim, nam utrum, & qua ratione repugnet puro homini satisfactio pro culpa sive mortali, sive veniali? Est questio gravissima, quæ ad aliam Materiam spectat.

91. **Difficultas 4.** Utrum ad merendum sibi, aut alteri de congruo, necessaria sit specialis oblatio operantis referentis opus in suum, aut alterius commodum? Dico 1. Ad merendum sibi de congruo, non est necessaria specialis relatio, aut voluntas operantis, quæ opus suum offerat, & ordinet ad tale beneficium sibi obtinendum. Ita *P. Soar. tom. 3. de grat. lib. 12. num. 7.* Probatur, quia ipsum opus ab intrinseco habet tendere ad bonum, & commodum ipsius operantis; ergo &c.

92. **Advertes tamen cum *P. Soar. cit.*** hoc esse verum quoad meritum de congruo illius beneficii, quod aut ex natura rei, aut ex speciali Dei ordinatione habet connexionem cum opere sic meritorio, ut habent attritio, aut elemosyna in ordine ad pro-

Tom. 2.

merendum de congruo remissionem peccatorum; non ita verò, si beneficium sit omninò disjunctum, ut est donum continentia obtinendum per elemosynam; siquidem tunc tale opus non disponit, neque juvat ad obtinendam aliam virtutem quasi disparatam; ac proinde ut juret, & disponat per modum meriti de congruo, oportet, quod per intentionem operantis determinetur, in quo æquiparatur merito de congruo respectu alterius.

Dico 2. Ad merendum alteri de congruo, necessaria est specialis oblatio operantis referentis opus suum in alterius commodum. Ita *P. Soar. cit.* Probatur, quia bonum opus ex se solum refertur ad proprium commodum operantis; ergo ut possit alteri prodesse, & quis alteri mereri, requiritur specialis relatio ad illum.

Advertes tamen, prædictam intentionem non semper debere esse actualem, sed sufficere virtuale, si beneficium promerendum alteri sit ei specialis: si autem sit generale, non videtur necessaria specialis intentio, aut oblatio operantis, sed satis erit generalis, & quasi connaturalis, quam includunt obsequia pro amico, pro fratre, pro Rege, pro Republica, & multò magis pro Deo facta; siquidem ex vi illius meretur justus, ut Deus beneficiat aliis, præsertim conjunctis, & familiaribus, etiam si ipse justus de hoc non cogitaverit, quia implicitum, & præsumptum desiderium eorum ad id sufficit.

SECTIO V.

De conditionibus ex parte Dei requisitis ad meritum de congruo.

CONDITIONES, quæ ex parte Dei possunt venire in questionem, An requirantur ad meritum de congruo, sunt ordinatio, promissio, & acceptatio divina, prout supra diximus requiri ad meritum de congruo: pro quibus sit:

Difficultas 1. Utrum ordinatio divina antecedenter facta, ut actus meritorius possit referri ad tale præmium potius, quàm ad aliud, non sit necessaria ad meritum de congruo. **Affirmativè.** Ita *P. Soar. tom. 3. de grat. cap. 36. n. 3.* & alii. Prob. quia hoc meritum solum consideratur in actu meritorio secundum congruitatem, & decentiam, quam habet ex sua intrinseca bonitate, & aliis ejus circumstantiis ad tale, aut tale præmium; sed huic decentiæ, & congruitati nihil potest addere ordinatio Dei extrinseca; ergo hæc non est necessaria ad meritum de congruo.

Dices: Aliquando potest contingere, quod tale meritum sit indifferens ad hoc, aut illud præmium; ad hanc, aut illam personam; ergo ut determinetur, necessaria erit ordinatio divina illud referens, & ordinans ad tale præmium, & ad talem personam. Respondeo negando consequentiam; in eo enim casu poterit sufficienter determinari aut per ordinationem, & intentionem ipsius operantis; aut (si hæc desit,) per voluntatem Dei acceptantis ipsum opus in actu secundo ad hoc, aut illud præmium respectu hujus, aut illius personæ.

Difficultas 2. Utrum ad meritum de congruo necessaria sit promissio divina antecedens præmium sub conditione operis? Dico 1. Talis promissio non repugnat merito de congruo. Ita *P. Soar. cit. n. 4.* Probatur, quia ultima dispositio ad gratiam, nempe contritio, illam meretur de congruo, ut ex

Non

supra

supra dictis, & ex infra dicendis patebit; & tamen habeat adjunctam promissionem factam peccatori de gratia, & remissione peccati ei conferendâ, si convertatur, sicut oportet; ergo &c.

98. Confirmatur primò, quia eleemosynâ, & orationi, ut constat ex pluribus Scripturâ locis, promissa est aliquo modo remissio peccatorum, saltem mediante auxilio, quo homo, si velit, possit ad illam pervenire; & tamen meritum, quod in illis actibus est, ad summum potest esse de congruo; ergo &c. Secundò, quia ad meritum de condigno, ut supra diximus, non sufficit sola promissio Dei, etiam sub conditione operis, sed requiritur etiam operis condignitas secundum proportionem; ergo si fiat promissio sub conditione operis, cui talis proportio desit, licet aliquam congruitatem habeat, non statim resultabit meritum de condigno; ergo de congruo; consequenterque cum tali promissione poterit esse meritum de congruo.

99. Dices cum *Sot. lib. 2. de Nat. & grat. cap. 4.* Meritum non est de condigno, nisi quia Deus certissimam legem statuit tribuendi præmium servanti mandata; sed hujusmodi lex nihil aliud est, quam promissio; ergo eo ipso, quod meritum in promissione fundatur, est de condigno; consequenterque promissio repugnat cum merito de congruo. Respondeo negando majorem; illud enim principium, quod omne meritum fundatum in promissione sub conditione operis, sit de condigno, non est verum, nisi quando opus est proportionatum, ut patet ex supra dictis d. 2. à n. 915.

100. Dico 2. Talis promissio non est necessaria ad meritum de congruo. Ita *P. Soar. cit. num. 6.* Probatur primò, quia ad meritum de congruo non sunt necessariae omnes conditiones meriti de condigno; alioqui esset, & non esset meritum de congruo; esset, ut supponitur; non esset, quia si haberet omnes conditiones necessarias ad meritum de condigno, jam esset de condigno, & non de congruo; ergo neque hæc specialis conditio promissionis est semper necessaria; neque enim assignari potest major ratio necessitatis in hac, quam in aliis conditionibus. Confirmatur, quia stante promissione, potest esse meritum de congruo, quia aliqua alia conditio ad condignitatem necessaria desit, ut supra diximus; ergo è contra, licet promissio desit, poterit actus ob alias conditiones esse meritorius de congruo.

101. Probatur secundò, quia ut actus sit meritorius de congruo, satis est, quod in se habeat bonitatem aliquam proportionatam, ut ratione, seu intuitu illius possit meritò Deus beneficium aliquod homini reddere; sed actus potest esse hujusmodi, licet non habeat promissionem talis præmii; siquidem illa qualitas actus est ei intrinseca, & solam aptitudinem tali præmio proportionatam respicit; promissio autem est extrinseca, & respicit potius actualem redditionem præmii, quæ etiam sine promissione fieri potest, si Deus velit per gratuitam acceptationem; ergo non est, unde promissio sit absolutè necessaria ad meritum de congruo.

102. Probatur tertio, quia talis promissio, aut est necessaria, ut in merito locum habeat propria justitia; aut ut mercedis, seu præmii retributio sit infallibilis; sed neutrum horum est necessarium in merito de congruo: Non primum; siquidem obligatio justitiæ, neque in eo desideratur, neque in rigore esse potest: Non secundum; siquidem infallibilitas retributionis, licet ad fiduciam meren-

tis conducat, ad congruitatem meriti necessaria non est, ut patet; ergo &c.

Confirmatur primò inductione, quia in bonis operibus ordinis naturalis est aliqua ratio meriti; & tamen sistendo præcisè in pura natura, nulla promissio Dei intercedit. Deindè in ordine supernaturali opera justorum essent de se meritoria apud Deum alicujus præmii supernaturalis, licet Deus illud non promississet; siquidem de se haberent aliquem ordinem, & habitudinem ad illud; & tamen tunc non essent meritoria de condigno, prout supra diximus d. 2. à num. 921. ergo de congruo; consequenterque ad hoc non est necessaria promissio. Secundò, quia nunc de facto non constat, factam esse promissionem omnibus dispositionibus remotis ad gratiam, quas peccator per auxilia gratiæ efficiere potest; & quidem *D. Aug.* quando fidei, & similibus actibus tribuit aliquod meritum, non illud fundat in speciali Dei promissione, sed in bonitate, & obedientia talis actus ex gratiæ auxiliis; & tamen probabilius est, hujusmodi dispositiones esse meritorias de congruo, ut infra videbimus; ergo &c. Tertio à simili, quia oratio potest esse impetratoria, licet promissionem non supponat; & interdum (ut est credibile) de facto impetrat, licet conditio promissionis non integrè impleatur; ergo idem censendum est de merito congruo.

Dices ex eodem *Sot. cit. & Lorca d. 4. 2. de grat. 104.* Per omne meritum, etiam de congruo, sit præmium aliquo modo debitum operi; ergo si est meritum apud Deum, necesse est, ut Deus ex aliqua virtute obligetur, aut saltem inclinetur ad retribuendum præmium tali operi; sed nulla esse potest virtus sic obligans, nisi præcedat promissio; ergo neque meritum esse potest. Probatur minor, quæ sola indiget probatione, quia retributio illa non erit ex justitia; alioqui meritum esset ex condigno; neque ex fidelitate, quia non est facta promissio, ut supponitur; neque ex misericordia, quia hæc non respicit opus, sed indigentiam; neque ex liberalitate, quia hæc etiam non fundatur in opere recipientis, sed in voluntate dantis; ergo sub nulla ratione virtutis potest tale meritum inducere debitum apud Deum, nisi ejus ordinatio, & promissio præcedat. Respondeo negando minorem, cujus probatio tangit difficultatem, ad quam scilicet virtutem, seu attributum Dei pertineat retributio meriti de congruo? Pro qua sit:

Difficultas 3. A quânam virtute procedat in Deo remuneratio operis, quod est de congruo meritorium? Advertes, licet quæstio procedat specialiter, quando meritum de congruo non habet adjunctam promissionem divinam, re tamen verâ etiam habere locum, licet promissio divina intercedat; siquidem etiam tunc meritum de congruo non fundatur in ipsa promissione Dei, sed tantum concomitanter se habet; nam licet promissio non fieret, adhuc posset esse tale meritum de congruo; ergo, positâ promissione, meritum illud non transcendit rationem meriti de congruo, quando in opere non supponitur proportio, & æqualitas sufficiens ad justitiam, ut patet ex supra dictis. Unde licet additâ promissione tribuatur præmium promissum ex virtute fidelitatis; explicare tamen oportet, ad quam virtutem pertineat, præcisè promissionem, tale meritum remunerare.

Prima sententia asserit, præmium talis meriti ex gratitudine esse reddendum. Ita *P. Vasq. apud P. Arriag. tomo 4. d. 57. num. 16.* Rescitur primò, quia gratitudo ex *D. Thom. 2. 2. quæst. 106.* respicit benefactorem, & ejus debitum fundatur in beneficio

beneficio accepto; sed Deus non est capax beneficii; siquidem nemo potest esse Dei benefactor, cum ab ipso sit omne bonum, & ipse nullius boni egeat, neque aliquid commodi, aut utilitatis possit ab aliquo accipere; ergo &c. Secundò, quia non potest quis alium ex gratitudine obligare per illud ipsum, quod ipse eidem personæ ex gratitudine debet; sed quidquid homo potest in obsequium Dei facere, potest etiam in signum gratiam exhibere, & id etiam ex gratitudine debet; ergo non potest inde debitum gratitudinis in Deo resultare.

107. Dices: Licet Deus non sit capax accessionis alienius boni intrinseci, est tamen capax novi boni extrinseci, ut est honor, laus, adoratio, & similia; ergo exhibitio istorum bonorum potest suo modo dici beneficium, cui gratitudo debeat. Respondeo negando consequentiam; hæc enim non exhibentur Deo ut beneficia, sed ut servitia, & obsequia ejus excellentiæ, majestati, & dominationi debita. Unde licet obsequium non debitum aliquando æquiparetur beneficio, ut docet *D. Thom. 2. 2. quest. 106. art. 4. ad 3.* hoc tamen in Deo locum non habet; siquidem nullum obsequium potest ipsi exhiberi, quod aliis titulis, aut justitiæ, aut religionis, aut obedientiæ, aut gratitudinis etiam, non debeat.

108. Secunda sententia est aliquorum dicentium, hanc retributionem solùm esse ex virtute misericordiæ, aut liberalitatis. Rejiciuntur quoad primam partem, quia misericordiæ solùm respicit indigentiam alterius, & ejus miseriam sublevationem; ergo licet eadem actio remunerativa meriti de congruo possit simul fieri ex misericordiâ, nihilominus quatenus est remuneratio, ad misericordiam non pertinet. Confirmatur, quia quod oranti conceditur propter vim promissionis, sub ea ratione non datur ex misericordiâ, sed ex fidelitate, licet possit simul ex misericordiâ tribui; ergo ita in præfenti dicendum est.

109. Rejiciuntur quoad secundam partem, quia meritum de congruo, licet non inducat debitum justitiæ propriæ, inducit tamen tale debitum, quod puram gratiam, seu donationem gratuitam excludat; idè enim catholica doctrina negat, posse hominem suis viribus mereri de congruo primùm gratiæ auxilium; siquidem jam tunc non daretur gratis simpliciter, ac proinde non esset gratia, ut patet ex supra dictis; ergo quod redditur propter meritum de congruo, non redditur merè liberaliter; consequenterque in illa redditione intercedit alia virtus distincta à liberalitate.

110. Tertia sententia affirmat, hanc retributionem pertinere ad quandam Dei justitiam, quæ dicenda est generalis, aut quasi legalis, seu providentialis. Ita cum *D. Anselm. in Prolog. cap. 11. & D. Thom. 1. part. quest. 21. tenet P. Soar. tomo 3. de Grat. lib. 12. cap. 36. num. 11.* Probat, quia hujusmodi retributio non attingit propriam rationem, & obligationem particularis justitiæ Divinæ, quam solùm in retribuendis meritis de condigno observat, prout supra diximus; & alioqui servat modum aliquem justitiæ, quatenus respicit aliquale debitum in operibus fundatum, & æquitatem quandam respectu illius observat; ergo &c.

111. Quarta sententia docet, hujusmodi retributionem pertinere partim ad justitiam, & partim ad liberalitatem. Ita *P. Arriaga tomo 4. d. 57. num. 16.* Probat, quia non semper est necessarium ponere unicam, & indivisibilem virtutem, à qua procedat actio; ergo quatenus in opere est aliqua ratio,

Tom. 2.

saltem imperfecta, congruentiæ, seu qualiproportionis, oritur à justitiâ, & quatenus præmium est incomparabiliter majus, oritur à liberalitate. Unde addit *P. Arriaga* quasi rejiciens sententiam *P. Soar.* facilius esse hujusmodi retributionem ad has duas virtutes, alioqui nobis notas, reducere, quam novam aliam virtutem adstruere, quæ vix explicari potest. Utraque hæc sententia est aliis probabilior, & quolibet ex illis faciliè defendi potest.

112. Difficultas 4. Utrum post exhibitum opus meritum de congruo, sit semper necessaria acceptatio divina actualis, ut meritum congruum sit efficax, & habeat effectum? Affirmativè. Ita *P. Soar. cit. n. 3.* estque indubitata. Probat, quia retributio Dei in hoc merito non est ex justitiâ, neque ita debita, ut sit contra rationem, aut aliquod attributum Dei, illud non acceptare, aut præmium ei denegare; idèque talis retributio semper est simpliciter gratuita, etiam supposito tali merito; ergo ut hoc habeat effectum, sive suam remunerationem, requiritur acceptatio divina.

SECTIO VI.

De præmio, quod cadere potest sub meritum de congruo.

113. **E**XPLICATIS jam conditionibus requisitis ad meritum de congruo, superest explicare præmium, quod cadere potest sub tale meritum, seu quodnam præmium potest homo mereri de congruo. Primum igitur inquirendum nobis est: Utrum homo per actus omninò naturales possit mereri de congruo præmium aliquod supernaturale? Secundò, quid possit peccator de congruo mereri apud Deum? Tertio, quid possit mereri justus: Sit igitur:

114. Difficultas 1. Utrum homo per actus omninò naturales possit mereri de congruo præmium aliquod supernaturale? Dixi de congruo, quia jam supra diximus *d. 2. à num. 401.* nullum actum omninò naturalem esse meritum de condignogratia, & gloriæ, aut alterius præmii supernaturalis, idèque neque de facto, neque de possibili, & tam in homine peccatore, quam in homine justo.

115. Negativam sententiam tenendam tradunt *D. Thom. 1. 2. quest. 109. art. 6. & lib. 4. contr. gener. cap. 72. D. Bonavent. in 2. dist. 28. art. 2. quest. 1. & dist. 20. quest. 1. & dist. 30. q. 1. Richard. in 2. dist. 28. art. 1. quest. 2. Agid. quest. 3. Marsil. 2. quest. 17. Capreol. quest. unica. art. 1. conclus. 5. & art. 3. Argentin. in 2. dist. 27. art. 3. q. 1. & dist. 28. q. 1. art. 3. Gregor. quest. 1. & 3. Angles. in 2. dist. 28. art. 6. diff. 1. Palat. in 2. dist. 29. d. 2. Roa. 1. de Prædest. quest. 8. Henric. quòdlib. 5. q. 20. D. Antonin. 4. part. tit. 9. cap. 5. §. 4. Navar. in sum. cap. 1. num. 39. Victor. sum. q. 100. alias 121. Vega de Justificat. quest. 11. & lib. 6. in Trid. cap. 28. Zamel. 1. 2. q. 109. art. 6. d. unica, & art. 3. d. 2. Medin. & Conrad. ibid. Lorca d. 11. & 50. de Grat. Sor. lib. 2. de Nat. & grat. cap. 3. & 4. & in 4. dist. 14. quest. 2. art. 5. §. Diximus autem. P. Henric. lib. 1. de Penitent. cap. 21. num. 6. P. Bellarm. lib. 6. de grat. à cap. 1. ad 8. P. Valent. Contr. de grat. part. 2. cap. 2. & 1. 2. d. 8. quest. 5. punct. 4. P. Soar. lib. 2. de Prædest. cap. 6. & lib. 8. de grat. cap. 7. n. 2. 6. & 7. & tomo 4. in 3. part. d. 3. sect. 6. & lib. 1. de Prædest. cap. 7. n. 11. & tomo 3. de Grat. lib. 12. cap. 33. à n. 9. P. Viss. 1. part. d. 91. cap. 10. & 1. 2. d. 119. cap. 1. P. Molin. in Concord. d. 1. memb. 4. P. Less. Opuscul.*

N n n z

de